



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv

Techo, Nicolas

Leodii, MDCLXXIII.

Cap. 21. De supradictarum regionum statu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38528

subsequentibus Præfectis, accedentibus novis è Peruvîâ supplementis, per totam provinciam multæ Hispanorum coloniarum aut restituta, aut de novo condita sunt. Ex quibus, cæteris bello aut locorum injuriâ deletis, adhuc supersunt, præter Sancti Jacobi metropolim. Corduba, Sancti Michaëlis civitas, Salta, Cucuisensis urbs, Rioca, Estecum, Londinum, & paucula militum præfidiola, quibus subsunt in suas regiones divisi multarum nationum populi, Hispanorum auspiciis & fortitudine, ad Catholici Regis obsequium non sine sanguine, ut alii narrabunt, magna ex parte translata,

PORRO totam eam provinciarum à me delineatarum molem, qui mortales, quo corporum habitu, quâ religione, quibus moribus & linguis incolant, quæ terræ cælique, & animalium, nec non novarum secretarumque rerum conditio sit, commodius dixerò, cum de singulis locis, vel de illata ad varios populos per Societatem JESU Fidei face, suis temporibus tradam, Num verò ea pars Americæ Australis antiquis sæculis nota fuerit, non admodum utilis mihi indagatio est. Cicero in somnio, globum mundi in duas partes habitabiles dividens, alteram sub axe ad septem stellas, alteram Australem, quam *ασιαζονα* ex Græcis ab opposito axe appellat, instituit. Pomponius Mela veteri mundo adversam terram *ασιαζονα*, & ejus habitatores Antichthones nominat. Præterea nota sunt Aviti declamatoris apud Senecam verba, asserentis fertiles in Oceano terras, ultrâque Oceanum rursus alia littora, & alium nasci orbem. Clemens Beati Petri discipulus meminit Oceani, & mundorum, qui trans ipsum sunt; ex quibus confici volunt, partem hanc orbis auditione acceptam, & inspectione olim fuisse usurpatam. At unde novi orbis populi ducant originem, curiosius multi inquirunt, quàm certiùs. Lipsius, Aristotelis conjecturas sequutus, Afris navigabilem olim fuisse putat. Ferdinandus Oviedus ab Hespero Hispaniarum Rege Hesperidas insulas dictas, & sub eo cum continenti Americâ ab Hispanis cultas fuisse autumat. Alii Americanos progeniem Judæorum, Regis Osæ temporibus ab Salmanazaro captivorum, & in terras hæcenus incultas octodecim mensium itinere transportatorum, affirmant. Multi ab Sisis Pacificum mare navigantibus, aut ab Septentrionalibus (quod pronius est credere) propagatos, aut unde unde tempestate advectos æstimant. Ego nulli durus arbiter sedebo, & omnia quæ asserunt, fieri potuisse non inficias ibo: sed quid revera factum sit, ingenuè me nescire fatebor. Tantorum virorum opiniones, ut non aulim infirmare, sic nec affirmare: nam quæ sine ratione asseruntur, falsò plerumque contermina sunt, & æquè odiosum est sine ratione negare, quàm fidei noxium temerè affirmare. Adi Lipsium, Acoftam, Pinedam, Solorzanum, & alios viros planè eruditos, qui cum omnem antiquitatem evolverint, seque in omnem partem torserint, erudita, sed non certa de antiquis Americæ rebus tibi proment. Scio diluvii memoriam apud hos populos remansisse: sed utrùm illa memoria ad totius mundi cataclysmum, an ad particularem quarundam regionum eluvionem, instar Ogygii diluvii, quo Achaia; aut Deucalionis, quo Thessalia inundavit, referenda sit, in medio relinquo. Itaque Platonis Athlantidem, Diluvii rationes, Salomoniam Ophir, transmigrationem animalium, & id genus sexcenta, aliis tractanda prætermitto: nam ego lubens à conjecturis, & fabulosis abstinerebo, cum non desunt vera, quæ asseram.

QUAMQUAM non illibenter præfabor, videri mihi Peruviam, & Australes has provincias, velut alteram Ophir Carolo Quinto Cæsari, ceu Davidi, bella Domini cum Hispanis bellaturo, & Philippo Secundo Regi Catholico Escuriale sancti Laurentii templum Salomonicè constructuro, adeoque Philippis Tertio, & Quarto jam regnanti, Ecclesiam Catholicam, novi orbis opibus ornaturis defensorisque, concessas fuisse divinitus: optandumque, ut tantorum Regum posteris longâ & non interruptâ serie auro & argento Americano poriantur, quo avorum suorum vestigiis insistentes, non minus Catholicum imperium, quàm Hispani nominis gloriam amplificent. Sed ut rem meam agam, Carolus Quintus Cæsar

*Tiencumania
urbs.*

**CAPUT
XXI.**
De veteri
prædicta-
rum regio-
num statu.

*Utrum anti-
qua nota.*

*Unde sumis
originem.*

De diluvio.

**CAPUT
XXII.**
Catholico-
rum Regum
felicitas &
Religionis
cura com-
mendatur.

*Author bene
apprecatur
Regibus Ca-
tholicis.*